
Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Theses Philologicæ Quibus Jephtæ Fortissimi Hebræorum Imperatoris Res præclare gestæ illustrantur : Quasque Amica Disquisitione ventilandas publice proponunt

Francofurti ad Moen: [Verlag nicht ermittelbar], A. O. R. MDCCI

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86944347X

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86944347X/phys_0001
DFG

Fa_ 1092 (115)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86944347X/phys_0002
DFG

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86944347X/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86944347X/phys_0004
DFG

THESES PHILOLOGICÆ

Quibus

JEPHTÆ

Fortissimi Hebræorum Imperatoris

Res præclarè gestæ illustrantur;

Quasque

Amica Disquisitione ventilandas publicè

proponunt

PRÆSES

JOH. JAC. SCHUDT,

Gymn. ConR.

RESPONDENS

JOH. THOMAS HÄNSING.

Mœno-Francof.

d. 9. Jun. hor. 8. antemerid. in auditorio novo.

FRANCOFURTI AD MOEN.

A. O. R. MDCCI.

Generoſiſſimis ac Magnificis Dominis

SCHOLARCHIS

Patronis ſuis omni obſequio & veneratione maximè colendis

THESES

has

PHILOLOGICAS

Submiſſe conſecrat

PRÆSES.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86944347X/phys_0006
DFG

בעה

THESIS I.

NOmen *Jiphtach* fuit ominosum, Jephtamque viam popularibus ad libertatem, sibi ad gloriam *aperturum*, portendit.

II.

Utrique, & matri & filio, injuriam faciunt, qui Jephtam *spurium*, matrem *meretricem* appellant.

III.

Injustè cum Jephta fratres egerunt, *ab hæreditate* ipsum excludendo & *è domo paterna* ejiciendo.

IV.

Convitium est Vulgatæ Versionis Latinæ, Jephtam *latronum principem* fuisse, ac in exilio *latrocinia exercuisse*.

V.

Jephtæ *electio* & *vocatio* mediata quidem, verè tamen *divina* fuit.

VI.

Jephta *prudentis politici* personam in disceptatione cum Rege Ammonitarum exhibet.

VII.

Jephta ob virtutem bellicam & res præclare ac fortiter gestas omni jure nomen *Magni* gerit.

VIII.

Jephta *à Spiritu S.* ad vovendum *non* est *impulsus.*

IX.

Jephta *non simpliciter* omne, *primùm* sibi domum cum victoria reduci *occurrens*, Domino *se immolaturum vovit*; homines enim obvios immolare nec potuit, nec voluit.

X.

Jephtæ votum *disjunctivè* est conceptum: *aut erit Domini, aut offeram illud* in *holocaustum.*

XI.

Erravit Jephta *votum* suum *irrevocabile* judicans, Jud. XI, 39.

XII.

Jephta, ejusque filia, *non mortem, sed sterilitatem*, quæ perpetuam *virginitatem* comitatur, & stirpis interitum *deplorant.*

XIII.

Jephtæ *luctus* gravissimus filiæ *immolationem non probat.*

XIV.

Jephtam *immolasse* filiam suam, *nullibi textus affirmat.*

XV.

Executionem voti Jephtæi fuisse consecrationem filiæ in vita solitaria & cælibe, disertè textus tradit Jud. XI, 39. *& fecit*

in

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86944347X/phys_0008
DFG

in ea votum suum, quod voverat, והיא לא־ידעה איש *ut ipsa non cognosceret virum.*

XVI.

Consecratio Domino facta, ut in vita solitaria precibus, jejuniis, piis rerum sacrarum meditationibus Domino serviens μεριμνᾷ τὰ τοῦ Κυρίου *curaret ea quæ sunt Domini* 1. Cor. VII, 34. ubi *cælibatus* in V. T. *ex accidenti* intervenit in feminis, viri imperio subjectis, non autem in viris.

XVII.

Jephtam per חרם seu *anathema* filiam neci devovisse, quod *Capellus* statuit, falsum est.

XVIII.

Locus Levit. XXVII, 28. 29. *omne* חרם *Domino consecratum, non redimendum sed morte plectendum*, ineptè à Capello ad Votum Jephtæ applicatur.

XIX.

Errant Bodinus & Capellus, qui *jus vitæ & necis* in liberos & mancipia Parentibus & Heris *inter Hebræos* tribuunt.

XX.

Voti executionem filiæ petitio declarat, quæ non mortem sed *virginitatem* se *luctu prosecuturam* dicit vers. 37. 38.

XXI.

Non verisimile est, isto *duorum mensium intervallo*, quo filia cum sociis puellis virginitatem luxit, neminem Sacerdotum aut virorum doctorum ac piorum filiæ *immolationem*, ut Dei verbo Devt. XII, 31. contrariam, Jephtæ *dissuasisse*.

XXII.

Jephta, quamvis *miles*, tam rudis & *legis divinæ ignarus* non fuit, ut filiæ immolationem Deo gratam fore crederet.

XXIII.

Conventus anniversarius *filiarum Israël.* non immolationem sed vitam solitariam Jephtigeniæ probat, cum לְחַנּוֹת לְבַת vers. 40. non sit *lugere filiam*, sed *confabulari cum filia* Jephtæ, eamque blandis colloquiis consolari; occurrit Jud. V, 11. hoc verbum, ubi nonnisi lætam narrationem vel celebrationem significare potest, יְתַנּוּ *narrabunt* (celebrabunt) *justitias Domini.*

XXIV.

Quamvis cum Chaldæo Interprete, R. Sal. Jarchi aliisque *ad lugendum* vertatur, non tamen Jephtigeniæ mortem id probat, *lugemus* enim non tantum mortuos, sed & *miseros.*

XXV.

Jephtæ Hebr. 11, 32. celebrata *sanctitas & fides*, votum, filiæque immolationem, Deo placuisse non evincit; contra Jesuitas Serarium, Salianum, Tirinum, Balde &c.

XXVI.

Jephtæ l. c. commendata sanctitas & *fides* verisimile facit, ipsum *enorme parricidii* ac θυγατροθυσίας *crimen*, contra expressum Dei verbum Deut. XII, 31. *non admisisse.*

XXVII.

Etiamsi *Jephta* filiam immolasset, nec ipse tamen *Dei Patris*, filium pro nobis in mortem tradentis; nec *ipsa Christi*, pro nobis

nobis *morientis*, *typus* esse posset: contra Jesuitas §. XXV. nominatos.

XXVIII.

Ex difficultate, *quis Jephtæ filiam immolaverit?* immolationis patroni eluctari nequeunt.

XXIX.

Jephta *per* στοργὴν & *amorem* naturalem *nec voluit nec potuit immolare* filiam, & si vel maximè voluisset, id ipsi, quia Sacerdos *non* erat, minimè *licuisset*.

XXX.

Jephta *Abrahami exemplum*, filium Deo immolaturi, *æmulari*, ob diversas planè circumstantias, nullo modo potuit.

XXXI.

Iphigeniæ, à Patre Agamemnone Dianæ immolatæ, sive historia sive *fabula*, filiæ Jephtæ *immolationem non probat*, sed consecrationem Domino, cum Gentilium plerique Iphigeniam non immolatam, sed cultui Dianæ in Tauris consecratam tradant.

XXXII.

Ex *Chaldæi* Interpretis, Fl. *Josephi* & R. Salom. *Jarchi autoritate* parum momenti accedit sententiæ de immolatione Jephtigeniæ.

XXXIII.

Patrum Ecclesiæ Primitivæ, ὁμοθυμαδὸν & uno quasi ore immolationem statuentium, *autoritas*, in hac lite, ubi ex Philologia & Linguæ Hebraicæ peritia decisio pendet, non magni est facienda.

XXXIV.

XXXIV.

Vanus & inanis *seditionis* fuit *prætextus* Ephraimitarum, quod in belli societatem contra Ammonitas *non* fuerint *vocati.*

XXXV.

Convitiis in bello abstinendum, armis enim, non verbis aculeatis est pugnandum: *mulierum & puerorum*, non virorum fortium, quales Ephraimitæ videri volebant, hæc *arma* sunt.

XXXVI.

Jephta non Gileaditis tantum, sed *toti Israëli imperavit.*

XXXVII.

Errant, qui bello finito *Jephtam imperium deposuisse* fingunt: Aut qui *crudelitatis* ipsum, ob 42000. Ephraimit. cæsorum, *arguunt.*

XXXVIII.

Jephtam in Domino *beatè obiisse* extra dubium est.

XXXIX.

Putidum Judæorum *figmentum* est, *ulceribus membra* à corpore Jephtæ divulsa, & singula in singulis urbibus fuisse sepulta: nam in *urbibus* Gilead *sepeliri* hebraismus est, pro: *in una urbium* Gilead.

XL.

Magnus *Jephtæ defuncto honos* habitus est à Spiritu S. qui *per historicum* Θεόπνευστον *Libri Judicum autorem* Jud. 11, 1. *per Samuelem* 1. Sam. XII, 11. *& Autorem Epistolæ ad Hebræos* Hebr. XI, 32. magnopere eum commendavit: *idololatricus* verò, quem Nic. *Serarius* Jesuita ei decernit: *S. Jephte ora pro nobis!*


FINIS.

2. Lyserus de Origine Eruditionis.
3. Loscanus Comentatione Rabb:
4. Kessler de Sacerdote comburente vaccam rufam.
5. Horchius Graeco Salutis.
6. analysis vocis Schophtim.
7. Hottinger de quatuor tabernaculi teguminibus.
8. Ejusd de usu Salis in cultu Sacro.
9. Schramius de vigilibus priscis.
10. Jashuysen Specimen bibliorum Hanoverensium.
11. Schmid. Theses Philologicae
12. Zenter Specimen Catenae typicae.
13. Hottinger de viris Stationarijs.
14. Ickenius de paribs pentecostalibs p. 2da.
15. Stasens de typo Heniopolitano.
16. Kuisch de Sacerdotio cum regimine civili conjuncto.
17. Ejusd materiae continuatio.
18. Osheim de pygmeis Aethiopiae.
19. Sybius de Sabbato Gentili.
20. Carpzov Deus caliginis incola.
21. Simmesius de manipulo hordeaceo.
22. Lampij de Spiritu S.
23. 24. 25. 26. 27. ejusd materiae continuatio.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86944347X/phys_0013
DFG

29. Honert de auctore Naae J. Xti humanae
30. Holtius de Statu humiliationis Xti.
31. Cyuck de munere Xti Sacerdotali
32. Ode de obedientia Xti activa.
33. Cyuck animady in Cyp: van der Honert.
34. Cyuck in cyp alteram.
5. Hottinger de Integritate victimarum.
6. Vitringa de Serpente veteratore.
7. Van Dyssen Epist: ad van der Honert.
8. Claesenius de Existentia Dei.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86944347X/phys_0014
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86944347X/phys_0018
DFG

ndo & Carni suæ renunciarunt.
Deo seipsos & sacrificia spirituа-
às, hymnos, eleemosynas, jejunia,
ternum atque internum in Spiri-
om. 12, 1. 1 Cor. 6, 20. Heb. 13, 15. 16.
23. 24. Ps. 51, 19. Ps. 141, 2.
atio non est temporalis; sed pe-
. *Christus per proprium sanguinem in-*
ta, æterna redemtione inventa. c. 10,
s per oblationem corporis J. C. semel.
e consummavit in sempiternum san-
). 7, 26. 27. c. 9, 25. 26. 27. 28.
Oppositа est doctrina 1. *Gentilium,*
refert Cato l. 4. Districho mo-

ncens moritur cur victima pro Te?
orte alterius sperare salutem.
pudiato Jesu Naz. ejusq; Sacerdo-
eu formula fœderis Remissionem
tam æternam sibi promittunt.
s Orobius in *Collat.* cum *Limborch*
uit. p. 70. *Nullo Messia, nulla Re-*
c aliquando opus habuit ad salu-
equendam: Sufficit Lex Divina,
dium ad salutem Dominus Israeli
ne quam Jesum Nazarenum ceu
que Sacrificium admittere, in
tionis, Viri Gallum gallinaceum
, colore; fœminæ vero Galli-
actare & offerre his verbis: